



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. De vsura & mutuo, quid sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

se enutriens in delitijs carnis. Dauid dicit, Diuitiae si affluent, nolite cor apponere. Ideo docuit Apostolus 1. Timoth 6. inquiens. Diuitibus huius seculi præcipie, non sublimè sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abundè omnia ad fruendum, benè agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.

## CAPUT X.

## ARGUMENTA.

1. *De usura & mutuo, quid sit.*
2. *Quām graue vitium sit in homine Christiano.*
3. *Quomodo punitur à DEO & ab Ecclesia.*

 H̄ristus dedit preceptū, Luc. 6. Matth. 5. scilicet quod in necessitate proximi ex Christiana charitate quis succurrere & iuuare debet proximum, inquiens: Mutuum dantes, id est, leyhet, nihil inde à mutatione sperantes lucri. Et iterum, volenti à te mutuare, ne auertas te ab illo. H̄ic præcipit Christus, ut proximum nostrum iuuemus sine lucro nostro, nihil ex mutuo sperantes. Est autem usura, lucrum intentum principaliter ex mutuo: ut si propter lucrum accommodas pecuniam proximo, non respicias ad necessitatem & charitatem erga proximum, si accommodas ei aliquid pecuniae, & quotannis accipis censem, donec summa redimatur: hoc est contra Christi præceptum & charitatem proximi. Si vis esse Christianus & dici, nihil debes sperare ex mutuo. Sic Deute. 23. scribitur: Fratri tuo absq; usura id quo indiget, accommodabis, ut benedicat tibi Dominus in omni tempore, hoc præceptū strictè obseruant

Feruant Iudæi, scilicet quod Iudæus cum Iudæo nul-  
 lam usuram committit, sed cum Gentibus & nobis  
 Christianis, ideo peiores sunt Christiani usurarij ipsi  
 Iudæis, qui usuram faciunt cum fratre Christiano, si-  
 ne omni metu & timore Dei, & habet hoc præceptum  
 Dei etiam suam promissionem, scilicet ut benedicat  
 tibi Dominus in omni tempore tuo. Deus enim vult  
 esse remunerator illius operis tui, si gratis mutuas  
 fratri tuo: nempe vult te benedicere in substantia, re-  
 bus, familia, agris, horreis in omni tempore tuo &c.  
 Ergo tu nihil sperare debes à proximo tuo propter  
 Deum & Christum, qui hoc ita præcepit, & talis mu-  
 tuatio vel accommodatio debet fieri gratis, ut Deo  
 hoc præcipienti, & tibi bona promittenti obedias. Vi-  
 deant ergo qui vinum, frumenta, & id genus merci-  
 monia vili precio, quando fertilis est annus, coemunt;  
 & si quando proximum ob necessitatem urgentem  
 videant suam supellecilem ac bona vendentem, exi-  
 gua pecunia ab ipso emunt, & ipsi hæc reseruant;  
 ita ut in futuro multo carius & duplo plus illa ven-  
 dant alijs, fœnerantes, proximum suum non curan-  
 tes, nec rationem paupertatis ipsius vel necessitatis,  
 immo nec pietatis habentes. Est enim avarus Dia-  
 bolus mille artifex in rebus usuræ, qui etiam suos la-  
 queos extendit mille modis, ut proximum & commu-  
 nitatem fraudet, quarè Paul 1. Tim 6. recte dixit, qui  
 volunt diuites fieri, incident in tentationem & la-  
 queos Diaboli, & desideria multa & inutilia, quæ  
 mergunt homines in perditionem. Secundo, usura pec-  
 catum est grauissimum contra Dei præceptum Ex. 20.  
 Non furtum facies, sunt enim usurarij subtile fures,  
 & aperti deceptores, & impostores: fur occultus su-  
 spenditur ob rem exiguum furto sublatam, illi autem  
 in purpura & auro incedunt, & multo sunt maiores  
 fures: plus nocent cōmunitati & toti regioni, quam  
 Prouer. 6. occulti & parui fures, qui (ut Sapiens ait) aliquando  
 furantur